ORATIO MEDICA INAUGURALIS,
LAUDATORIA,
DE

VIRIS DE RE MEDICA OPTIME MERENTIBUS:

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. FRANCISCI VAN OUDENDORP,
HISTORIARUM ET ELOQUENTIÆ PROFESSORIS.
NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI *Consensu*
& Nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ *Decreto*;

PRO GRADU DOCTORATUS

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis
ritè ac legitimè consequendis,

Eruditorum examini subjicit

GUILIELMUS SANDIFORD, BARBADIENSIS.

Ad Diem 2. *Novembris* 1751. *hora locoque solitis.*

Nihil magis præstandum est, quàm ne, Pecorum ritu, sequamur Antecedentium Gregem, pergentium non quâ eundum est, sed quâ itur.

SENECA.

LUGDUNI BATAVORUM,
Apud JOH. & HERM. VERBEEK, 1751.

17

VIRO DIGNISSIMO,

WARD HARRIS,

ARMIGERO:
PATRUO SUO OPTIMO,
MAXIMEQUE COLENDO;
STUDIORUM SUORUM HORTATORI, ET FAUTORI
PERBENIGNO:

NEC NON

ORNATISSIMO VIRO,

PHILIPPO GIBBES,

ARMIGERO:
IN INSULA BARBADIENSI SCACCARII PRÆSIDI
AMPLISSIMO:

OB EGREGIAM PIETATEM, BENEVOLENTIAMQUE INSIGNEM NON MINUS SPECTATIS, QUAM OB HUMANITATEM MORUMQUE FACILITATEM EXIMIAM MERITO DILECTISSIMIS,

Hanc Oratiunculam,
Solennibus Academiæ Ritubus morigerens,
Nec popularibus auris gaudens,
Eâ, quâ par est, Observantiâ,

D. D. D.

GUILIELMUS SANDIFORD,




WARD HARRIS,

ET

PHILIPPO GIBBES,

SAL.



Cum ſciam, Viri dilectiſſimi, ad Teſtimonium Laudemque Morum meorum pertinere, tam præclariſſimorum hominum Judicio exornari; rogo, obſecroque ne, multifariis Beneficiis in me jam collatis, hujuſce opuſculi Patrocinium adjicere dedignemini; ut, hoc conceſſo, Vos omni ſtudio & honore publicè proſequi poſſim, quo nunc privatim afficio. His autem efficiundis, non me fugit, quam maximo fuerit Impedimento veſtra inſignis Verecundia; quum apud omnes in confeſſo ſit, vos eſſe, quam videri bonos maluiſſe. At nihil obſtare debet, quo minus, omnibus poſthabitis, de virtutibus meritis quæſitis, Res agatur. Nec multum re-

fert, an Pudore impulſi, veſtris præclarè geſtis nubem objicere contenderetis, nec ne; quippe virtus, ad inſtar Ruboris ora Virginis ſuffundentis, quantò magis ſeſe occultare laborat, tanto magis ſeſe indicat, & clarius elucet. At cavendum eſt, caveri ſi licet, ne quorum amplificare non poſſumus, eorum imperitè dicendo, imminuamus Gloriam: nec decet, ut conemur tenues Grandia. Hiſce igitur miſſis, accipite, Viri ornatiſſimi, hoc qualecunque grati piique mei animi Teſtimonium. Inſignis Benevolentiæ & Benignitatis in me accumulatæ, in extremo quidem Tempore Vitæ, gratus ſemper recordabor: nec Vos unquam pænitebit, quod munificentiâ non magis, quam modeſtiâ, vinculis ſupremâ citius die non ſolvendis devinxiſti,

Humanitatis veſtræ,
Cultorem devotiſſimum

GUILIELMUM SANDIFORD.

ORA-



ORATIO MEDICA INAUGURALIS, LAUDATORIA,

DE

VIRIS DE RE MEDICA OPTIME MERENTIBUS:



uo Fonte, Professores ornatissimi, petenda est hujusce mali origo; quod Ars Medica pulcherrima, humano Generi certè utilissima, & per tot retro secula à Viris Ingenio ac Doctrinâ præstantissimis sedulò exculta, adeo parum intereà profecerit, & tam exigua acceperit Honoris monumenta, & stabilitatis suae Præsidia; ut, dum aliæ quidem scientiæ in maximo Pretio habeantur, & ad summum ferè Gloriæ Fastigium sint evectæ; huic nostræ Medicæ tam malè cesserit, ut non modo non pene jaceret, sed etiam unà cum arte ipsissimâ, vel quoque Fama artificum labefactari, & haud leviter laborâsse videretur? An arte ipsissimâ ducenda érit; quod vel subtilissimè exculta, nullas edat Fruges? Minime. An igitur artificum vitio tribuenda; quod alii torpentes Deliciisque diffluentes, eam pro Virili excolere recusaverint; alii nimis magnum studium multamque

que operam in res obscuras atque difficiles conferunt, easdemque non necessarias? Maximè quidem. Hujusce mali, perinde ac cæterorum omnium, si quid ego hic judico, à nobismet ipsis petendam esse originem, dictitat Ratio. Nos ipsi nobis desumus: Et hoc, quicquid est, sive Infelicitatis, sive Dedecoris, non tam Artis ipsius, quam artificum Vitio debetur.

Quum enim Antecessores nostri, nullo Famæ studio accensi, nisi eo, quod sit dilectissimum; nisi eo, quod in salutem civium unicè conspiret; non ad fingendum, aut excogitandum, sed ad inveniendum animos appellerent; idque sibi negotii solum datum crederent, ne Populo placerent, quas facerent Fabulæ; sed naturam, Optimam semper Ducem, Vestigiis quasi pressis, sequendo sanitatem præsentem conservarent, absentem restituerent: Hi contrà recentiores, sibi nimium placentes, nihilque magis reformidaturi, quam ne, medicinam probam munditiisque simplicem amplexi, Famam amplificarent, hominumque per ora volitarent: nihilve minus ægre ferentes, quam si, quicquid delirarent illi ipsi, plecteretur genus humanum; id unicè egerint, ut Philosophorum chartulis pallescentes, atque ineptis difficilibusque Quæstionariorum nugis omninò incumbentes, totique in illis, hominibus innotescerent, verticem supra alios conspicuum attollerent, & maximis Honoribus & Celebritate versarentur. Ad hæc accedit; quod multiplici experientiâ edocti, quam minimè valerent aut Famam assequendam, aut Gratiam ab Hominibus ineundam, res angustæ domi, virtusque indotata; nihil magis acriter caverent, quam ne laudarentur simul & esurirent; at verò Famæ, & privato suo quæstui faciundo potius, quam aut officio aut civium saluti consuluturis, id sibi maximo studio fuerit, ut nullas omninò colerent artes, nisi quæ Gloriolæ suæ aucupationi, & cupiditati Lucri insatiabili inservirent; nisi quæ Hominibus delirantibus, & nimis credulis mulierculis, unde fructus uberrimus, fucum facere essent paratissimi; unde adeo mille Fabulæ, & morborum

rum mendaces Historiæ; hinc tot res aniles medicæ, & Hypothesium inanium nullo innixorum fundamento, nullâ stabilitorum ratione Farrago multiplex. Utque id, quod res est, eloquar: Quæ duo utilitatibus sacræ Theologiæ semper obfuerunt; eadem Medicinæ studiis maximo fuerunt impedimento: Hinc turpissima Doctorum pravitas; illinc gravissima Discipulorum stultitia.

Quippe neutiquam sit dissimulandum, quod olim inter innumeros sanctæ Ecclesiæ Pastores, non omnes ita fuerunt incorrupti, ita probi, omnique turpi Lucro abhorrentes, ut civium saluti potius, quam privato quæstui faciundo consuluerint; nec ita fuco fallaciisque prorsus vacui, ut nulla commenta fingerent, nulla portenta excogitarent ex errore imperitæ multitudinis pendentes: sic etiam nobis non est inficiandum, quod inter medicorum Gregem, unus & alter semper extiterunt medicastrorum, qui ingenii lascivientis figmentis operam dediti, & rebus familiaribus adaugendis magis, quam aut officio, aut veritati, aut civium saluti inservituri; nihil prius potiusve haberent, quam quo Jure quâve Injuriâ famam amplificarent, nummos undique corraderent, & ad amplissimos dignitatis Gradus eveherentur: Quibusque simul multiplici Experientiâ edoctis, quam minimo momento huc atque illuc impellitur animus rabidus, & divino quasi Furore correptus; & quam suave Emolumentum inde redundans, omnium instar curarum fuit, ut nullas, nisi morborum Historias famâ & Raritate mirabiles proponerent; nullas omninò enarrarent nisi curationes miras, novas, ac penè conclamatas; quæ Pythagoræ & Platonis commentis ambitiosis, & à re prorsus alienis non multum abludentes, nec vanis atque inauditis Paracelsianæ ac Helmontianæ Disciplinæ Paradoxis bellum indicentes; Discipulorum animos vanâ spe lactarent, mentem dementarent, tandemque eam vertigine corripientes Erroribus, unde emergi non potest, obruerent: Satis securi, quod si animus Philosophiam oculo nimium irretorto

respiciens, labascit, captus sit, & de omnibus conclamatum.

Inde igitur manca & imperfecta Rei medicæ Disciplina; hinc Cultus Hippocraticæ Curationis nimium neglectus, ne dicam turpius spretus,

Et tollens vacuum plus nimio Gloria verticem. (*)

Ni enim Res sic sese habeat, quomodo fieri potest, quod licet humani Corporis compages & facultates longe melius intellectæ fuerint, & Morborum abditæ causæ altius investigatæ, & Medicamentorum Copia plurimum aucta, & eorum vires novis ac fidis Experimentis exploratæ; Nihilominus tamen, si id quod res est fateamur, Rei Medicæ, in tollendis Morbis Utilitas à Temporibus usque Hippocratis haud increvit, si modo non imminuta fuerit? Quibusve aliis Modis id effectum sit, ut Medici antiquiores, licet nullis Hypothesibus sese astringi patientes, nullisque inanis sapientiæ studiis animos irretiti; at fidelium verò Observationum Thesauro solummodo instructi, & suis etiam Experimentis divites, ad hæcce tamen sola medica munera paratissimi essent obeunda; naturæ nempe deficienti succurrerent, effrænem coërcerent, eamque in ordinem redigerent? dum Medicinæ recentioris contrà Cultores studiosissimi, Pace tuâ, Boerhavie illustrissime, Pace tuâ, Germaniæ grande Decus Hoffmanne; Lucubrationibus Philosophicis diu invigilantes, & Platonem & Aristotelem manibus terentes, non modo non hancce metam sibi propriam attigerint, sed etiam de eâ, uti ajunt, toto Cælo aberraverint. Quippe sanè sit dolendum, ne Res Medicas vel unquam pejus cedisse, quam Philosophiâ clavum tenente, omniaque gubernante. Ex illo enim multis gravissimis Erroribus jactati, & nefandorum suorum facinorum pænas luentes, mul-

(*) Horatius.

multos labores & quamplurima mala durissima perpessi sint Medici; nec iidem optatâ arenâ essent potituri, donec Victimis mactatis, & Experientiâ ritè placatâ, faustis sub Ominibus, littora ventis secundis, En iterum! petiirint. Quod si Cordatiores quidam, Veritati unicè studentes, ejusque Illecebris capti, quæ si oculis cerneretur, mirabiles amores, ut ait Plato, excitaret; hisce vanis Sciolorum Dogmatibus obviam irent, & magis prodesse, quam conspici contenderent; Id statim experiundo senserunt, quod contra rapidum insanientis stultitiæ, & opinionum præjudicatarum suis Erroribus felicium, æstum ibi omnis effusus labor, & irriti conatus, moventes sed nihil promoventes: nec huic tam gravissimo malo, plurimum grassanti, ne dicam Epedimico, Remedium afferri posset, nisi id, quod efficacissimum; nisi id, quod omnes Errores radicitus evellit, inutilesque Hypothesium inanium falce ramos amputans, feliciores veritates inserit; Experientia scilicet doctissima, quâ oculi Hominum demum aperti, id cernere cæperunt, quod adhuc nebulâ septis, cernere non datum est; omne nempe studium Medicinâ fore alienum; omne conamen prorsus vacuum atque irritum; nisi quod usu & Experientiâ solummodo positum, ad res practicas faciendas collimaret; nisi quod Homines devinciret communes utilitates in medium afferre, atque tum artibus, tum operâ, tum facultatibus, opem ferre laborantibus, afflictos excitare, dare salutem, Hominesque non solum in diuturnâ firmâque valetudine retinere, sed vitam ipsam, jam jam fugacem non rarò revocare. Quo demum cognito, hoc stabant Medici, hoc sunt imitandi; quod omnia dogmaticorum figmenta, & inextricabiles argutulorum Sophistarum Labyrinthos, qui rebus per se claris densas tenebras offunderent, è Scholis medicis penitus expulerint; Medicinam autem tersam, nitidam, nec fœdo opinionum squalore obsitam, sermone simplici & luculento breviter explanantes; Experimentis verè & fideliter capiundis, & Obser-

vationibus ritè edifcendis, fibi focio opere perpoliendam exornandamque commendârunt. Hinc ergo meritò gloriamur, nec gloriamur foli; quod Medicina rationalis ortum prima ducat; Quod longè ab hâcce Academiâ Lugduni Batavorum, omnibusque Medicis Scholis, fpero, exulent omnes Fabulæ commentitiæ; omnes Rhetorum Flores, omnes fales intempeftivi; Quod procul hinc omnia Verborum Lenocinia, quæ animum nunc huc celerem, nunc dividunt illuc; in partesque rapiunt varias; Quod nullæ ad naufeam usque Hypothefes; nulla Frons follicita, nulla nubes fupercilio obducta; nullæ ampullæ, nulla Empericorum verba fesquipedalia. At fincera & aperta omnia; & civium faluti folum infervientia; nec Prælectiones limatæ Orationis Stylum, & Linguæ cognitionem confectantes; At fermones fententiis illuftriorem, quam verbis ornatiorem Orationem contexentes; & multo plus Operæ in rectè, tutò, & jucundè medendo, quam in benè & ornatè dicendo collocantes; fi quidem fuffragante SENECA,

Non quærit Æger Medicum eloquentem, fed fanantem.

Quibus igitur Laudibus, nomen tuum, Radclivie illuftriffime, exornatum erit; quod in hanc omnium Rerum Perturbationem incidens; Quod inter tot Opiniones fibi parum conftantes, pene dixerim, contrarias natus, tandemque ad Praxim accedens; Antecedenti Gregi fortiffimus Heros, non addideras focium, pergenti non quâ eundum eft, fed quâ itur. Quibusve Præconiis Te, Vir egregie, profequemini; quod pulchrè gnarus, quam inane omne ftudium, nifi quod Obfervatione edifcendâ, & Experimentis ritè capiundis folummodo verfatur; eò collinearet, ut Morborum Hiftoriis verè & graphicè propofitis, eorumque juvantibus & lædentibus candidè evulgatis, Indicationes curativas veras, & præ aliis maximè genuinas eliceres; Non ad fubtilitatem Ingenii, aut vana cerebri Figmen-

menta, ceu ægrorum Insomnia, colenda; sed ad naturam observandam, eamque ducem sequendam, Temet ipsum totum tradidisti. Nec Te pæniteat, Britanniæ grande Decus; quod inter Musarum sedes, inter intima Doctrinæ Penetralia, Oxoniæ enutritus, Scientiarum Elementa Tu vix degustâsti. In Te enim vis animi vegeta, & Ingenium sagacissimum, Doctrinæ vim, & cultum diligentissimum longè superabat. Quippe neutiquam sit reticendum, quod quidem res habet; Naturam suo Negotio lætam, in Radclivio ostendere vidisse, quam maximum discrimen inter Homines sæpissimè ponit. Hic enim Vir non fiebat, sed natus est Medicus: Et si quando Animus ad res medicas animadverterit, ita celeriter quicquid voluit, arripuerit, ut ex Platonis Sententiâ, non discere, sed recordari videretur. Hoc enim verè prædicari potest; Eum reverà extitisse medicum, nec nomine tantum, sed Ingenio & rebus præclarè gestis insignem: nam Medicinam factitans, meruit hanc Laudem, & meruit ferè solus; quòd Hypothesibus inanibus procul habitis, naturamque morbos optimè sanantem, ducem comitemque semper habendo, *venit*, *vidit*, *vicit*. Nec is ipse solum solicitus fuit, ut Arte Auxiliatrici Morbos depelleret, sanitatem amissam revocaret; verùm etiam dulci Lepore, & facetiis urbanis Valetudinem tandem recuperatam, firmam diuturnamque redderet; Eamque insuper solidam inconcussamque substernens Basin, si ita esse sinent Fata, in æternam protraheret. Quid ergo? An extinctus non amabitur idem? Quo absente leviter ægrotantes illicò desperare; quo præsente gravissimis morbis laborantes, omnes metus deponere. Amabitur sanè semper; Nec aliquis ejus funera vanis Lacrymis decoret. Nam hic

Maturos largimur Honores,
Jurandasque tuum per nomen ponimus aras.
Nil oriturum aliàs, nil ortum tale fatentes. (*)

Nec verò illum tantum, ſed ejusmodi quam plurimos noſtra tulit Britannia; in poſterum ſemper Prole non diſſimili gaviſura. Quid enim Harvejum, quid Friendium, quid Williſium, quid cætera Civitatis noſtræ Virorum præclariſſimorum feraciſſimæ Lumina commemorem; quippe quum de maximis Animis ſplendidiſſimisque Ingeniis Res agatur, hæcce noſtra Londinenſis

-- -- -- *tantum inter alias caput extulit Urbes,*
Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi. (†)

At cavendum eſt, caveri ſi licet, ne dum Oratio Curriculo incaleſcens, ad metam deſtinatam nimium feſtinat, Sydenhamum prætermitteret, non adeo Medicinâ merentem, ut de eo malè ageretur. *Hic* enim Vir, *hic* eſt, qui expertus quid proprio marte valeret humani corporis Fabrica; quam ſatis illa ad acuta morborum expedienda per ſe ſit efficax; & quàm minimè, invitâ quod ajunt Minervâ, ad morbos depellendos, ſanitatem reſtituendam, pollere debent Remediorum vel Formulæ decantatiſſimæ; Ipſos febriles motus fixis oculis toties ſpectaturus, nihil agendo, omne punctum ſæpiſſimè tulit. Nec quidem hujuſce Viri Gloria nunc magis claret, quod *cunctando* nobis ſæpiſſimè reſtituit Rem; quam quod Conſilia prudenter & ſapienter capiundo, ægros penè conclamatos in vado tandem collocavit, & in Portum quaſi recepit. Nam Sydenhamus hoc præcipuè ſumit; quod cum Naturam ſuo operi intentam agnoverit, Hoſteque ſuo æquis Legibus con-

(*) Horatius. (†) Virgil.

conflictantem, Ictumque quâ Victoriam reportaret, jam jam minitantem perspexerit; importunam artis sedulitatem noluerit sapiens interponere; Sed fortem ducem, rerumque militarum scientissimum referens, qui nihil temerè, nihil nisi faustis sub Auspiciis sibi aggrediendum esse, contenderet; At quicquid satis superque in Consiliis, quæ ad aciem instruendam & agmina ducenda, viam sternunt, in sociis exhortandis eorumque animis ad certamina ciendis, operæ laborisque poneret; Sydenhamus eisdem vestigiis institurus, ægrisque subsidium ferens, huc omnes Ingenii nervos intenderit, ut naturam moderaret, ejus vires languentes excitaret, nimis valentes frænaret. Nec is ideo unquam solicitus fuit, ut Febrim jugularet; sed sedulus attendebat, an excitatus per Febrim motus tantus esset, quem periculosa Symptomata solebant sequi; vel contrà sic langueret, ut Partes impuræ à puris non secernerentur, & sanguis in novam aliquam Diathesin immutaretur. Quo cognito, vel compescebat idoneâ medelâ febrilem motum, si nimis valeret; vel excitabat languentem, Fortunæ cætera mandando; Id quippe sibi compertum semper habuerit, quod in Vitâ instituendâ, sic etiam in Medicinâ exercuendâ,

Rectius vives, neque altum
Semper urgendo: Neque
-- -- -- Nimium premendo
Littus iniquum. (*)

Ac quibus sub Auspiciis, id sibi effectum sit, multa extant Monumenta, nullum autem aut pulchrius, aut clarius, quam ejus aureus Libellus, quo tota malorum Cohors votivâ quasi Tabula pateat depicta. In hoc quippe Libro dubitari potest, an acumen, quo omnia uno quasi

(*) HORATIUS.

quaſi Intuitu pervaderit, & Judicium, quo quicquid in iis inerant boni, collegit, prius admiremur; an ejus incredibilem Induſtriam, & Diligentiam ſingularem, quibus omnia vel maximè rerum ardua, Herculeo quaſi labore, viciſſet; Et alter Alexander, anguſto limite æſtuaret, nullos amplius ſupereſſe Medicarum Scientiarum Orbes, quos in ſuam Poteſtatem redigeret. Quis enim Medicorum, Pace tuâ Coc Senex, Aëris diverſos ſtatus, certiſſima Epedimicorum Morborum Indicia, curioſè inveſtigans, tam diligenter enarrabat? Sydenhamus. Quis Morbos exinde profectos, unà cum ſignis eosdem comitantibus, accuratè depingens, tam manu dextrâ invadebat? Sydenhamus. Ne multis: Quis Medicinæ Pomæria adeo amplificavit, adeo ditavit, adeo firmiter ſtabilivit, adeo penitus repurgavit? Quis niſi Sydenhamus? Medicina reformata, repurgata, firmiter ſtabilita, ditata, amplificata; Sydenhamum omnia prædicant. Huncce igitur Virum non omni ſtudio & honore proſequemur? non omnibus Laudibus exornabimus? Sed meam nimis feſtinantem Orationem revocat, Impetumque reprimit, propè decurſum dicendi ſpatium, & Tributum tuæ virtuti debitum, Boerhavie celeberrime, nimis ſero forſan ſalutate. Sive enim Te, evolvendis Veterum Scriptis, ſcrutandisque eorum Sententiis diu ſeneſcentem, diu inclareſcentem ſpectemus; ſive Inediæ & algoris patientem magis, quam cuique credibile eſt, intima Chemiæ Penetralia rimantem, Morborum abditas Cauſas altiùs inveſtigantem, Medicamentorum Vires novis ac fidis Experimentis explorantem, & omnibus inter ſe comparatis, Acumine plus quam humano, irrevocabiles Morborum fugas mæditantem læti agnoſcamus; Nomen tuum Luce ſibi propriâ eniteſcit, & tot Præconia, tamque multæ graves parvi diſcriminis Laudes Te maneant;

Qua-

Qualis ab Imbre solet percussis solibus Arcus,
Inficere ingenti longum curvamine Cælum.
In quo diversi niteant cum mille Colores;
Transitus ipse tamen spectantia lumina fallit,
Usque adeo quod tangit, idem est: tamen ultima distant. (*)

Boerhavii autem Ingenium perspicax, & acutum in hoc maximè admiremur; quod tot tantisque Curis & Occupationibus distentus, tam multa & ardua rerum Animo complecti, & Industriâ fideliter exequi potuerit. Cum enim scientia Mathematica alios ad summos Honores; alios Anatomia; alios Chemia; alios Botanice, alios Medicamentorum Virium scientia, alios Praxis Medica provexerit; huic versatile Ingenium sic pariter ad omnia fuit, ut ad id unum natum diceres, quicquid ageret. In Problematibus Mathematicis enucleandis, & solvendis, me Judice, non sordidus Auctor; In intimis humani Corporis Penetralibus scrutandis & rimandis, Ministro Artifice Anatomices Cultro, Indagator peritissimus, & multis insignibus clarus rebus adversariis.

Idem, postquam Animum ad res chemicas animadverterit, in Arte Chemicâ Vir spectatissimus; hac in re, ut in cæteris par, vel ejus Antecessoribus anteferendus; quod Chemiam Medicinæ profituram excoluit, & excultam, ne quo careret Ornamento Ars, suis scriptis tradidit. Hoc enim de eo verè prædicari potest; quod Chemiam, quid Chemiam memoro? totam Artem Medicam, Monachorum cellis inclusam, Opinionibus anilibus sordidam, gravique superstitione oppressam conspicere dedignatus, Res novas primus meditabatur; ac alter Cato, ne quid adeo rebus in arduis, Respublica detrimenti caperet, di-

vi-

(*) Ovidius.

vinæ Artis in Libertatem vendicandæ, ſtabiliendæ, cohoneſtandæ, nitorique priſtino reſtituendæ Conſilium cepit. Et jure quidem: hinc enim læti jactamur, & jactemur ſemper! quod Medicâ nihil antea niſi Chaos; rudis indigeſtaque Moles;

Nec quicquam, niſi pondus iners; congeſtaque eodem
Non bene junctarum diſcordia ſemina rerum. (*)

Mutatas primò dicere formas, & vanis futilibuſque Sciolorum litibus dirempta, veritati unicè ſtudere, & ſermone perſpicuo & ſenſu turgente primo gaudere. Nec quidem in aliis Medicorum bonis Artibus minoris Pretii ducebatur Boerhavius. Nam poſtea ad ſummos Medicinæ Honores advexit, Profeſſor præclariſſimus, ut nemo ſibi idoneus videretur, quo Laurea apollineâ eſſet donatus, niſi Boerhavium primus audiiſſet. Idem, ſi morborum Curationes peteres; Practicus feliciſſimus, & infirmis optimè conſulens. Si Nodulus aliquis Theoreticus eſſet reſolvendus, Diſputator ſubtilis, & Orator eloquentiſſimus, ut Ciceronis tanquam Diſcipulum poſſis agnoſcere. Nec eo contentus, quod feciſſe alii cuivis Homini, Sapientiâ minus pollenti, & ſibi & Gloriæ ſatis diu vixiſſe videretur, ad Rerum herbariarum Scientiam ediſcendam omnia navârit Opera, in quo perficiundo munere ita ſeſe præclarè geſſit, ut illuſtriſſimis hujus Academiæ Curatoribus ità volentibus, ad ejuſdem Profeſſionem, quam cito! eveheretur. O felicem Hominem, qui tot Artes ſuſcepit ac obtinuit! Nec facilè dixeris, in his muneribus obeundis, utrum eum magis preſſerit Nobilitas, an ille agitaverit Nobilitatem. Illi ergo ſingularis ac propria Laus; quod Ingenio Radcli-

vii

(*) Ovidius.

vii sagacissimo, & limato Sydenhami Judicio non obstante,

Sanctius his Animal, mentisque capacius altæ.

Deerat adhuc; & quod Medicinam sine Ratione truncam atque debilem, & Experientiam ratione vacuam, labilem & in Ruinam corruentem; utrumque horum per se indigens, alteram alterius Auxilio perficere, cum laude sudaret. Natus est ideo Boerhavius.

Hi sunt Vestri Majores, P. C., Viri Artis medendi Gloriâ præstantissimi, & iidem Ingenio sagacissimo, & acri Ingenio præditi. Nec verò me latet, permultos Viros maximè claros à me, temporis Angustiâ, prætermissos, quorum quidem Laudes impari calamo non attingo. Quot enim Medici doctissimi, ex hac ipsâ Academiâ, tanquam ex Equo Trojano milites, non prodierint, per omnes Europæ Regiones atque Tractus diffusi: Pitcarnius, Hallerius, van Swieten, cum multis aliis, quorum Virtutibus recensendis, vix sufficeret longissima Dies. Ne silentio prætereamus mille illustres Animas, quas Britannia sibi jure vindicat, quasque semel memorasse sat est: Nam *ubi ubi sunt, non diu celari possunt*. Nec hasce dictas Regiones, suas lætas Sedes, tantùm invisit Apollo; verùm ejus benignum Numen agnoscant Gallia atque Italia. Hinc enim gloriamur Fernelium & Helvetium; Illinc Baglivium, & Bellinum: Quos ritè laudare & exornare, eò difficilius est, quòd non in unâ aliquâ Arte, sed in omnibus ferè elaborarunt; Non in humili aliquâ, ac re vulgari, sed in Scientiâ tam Dignitate, quàm Utilitate præstantissimâ excelluerunt.

Hisce igitur missis, ad Vos, quorum Pectora Salutis humanæ Amor accendit; ad Vos, Juvenes præclaris-

rissimi, mea sese tandem convertat Oratio.

Quandoquidem autem in his Viris memorandis, in promptu sit observare, Neminem insignem extitisse sine summâ Industriâ; Neminem diu præclarum, nisi qui Fontes antiquos hauriisset; Hippocratem, Galenum, Celsum: Vos itidem egregiis hisce Ductoribus excitatos, ad eundem Virtutis Apicem anhelantes; & eorum Vestigiis instantes, ne vel minimum quidem Temporis Momentum nugis conterere maximè oportet, sed eodem, dum possitis, quam minimum credulos postero, raptim quasi avaros perfrui. (†) Cum autem sæpe legitur; Q. Maximum, P. Scipionem, præterea Civitatis Romanæ præclaros Viros, solitos ità dicere; cum Majorum Imagines intuerentur, vehementissimè sibi animum ad virtutem accendi: scilicet non Ceram illam, neque Figuram tantam Vim in sese habere, sed memoriâ rerum gestarum eam flammam egregiis Viris in Pectore crescere, neque prius sedari, quam Virtus eorum famam atque Gloriam adæquaverit: Sic etiam mihi maximè lubet, Socii dilectissimi, ut Vos admonitos habeam, nihil magis præstandum esse, quam ne, Majorum Exempla pressius intuendo, committeretis ut eorum Virtutes Vosmet ipsos penitus fugerent. Nec verò satis est, ut (Emptorum pretiosorum ad Exemplar) Effigies Oculis tantum complectamini; at forma mentis æterna; Eorum bonæ Artes; Industria, Diligentia, Benevolentia, Vobis ante Oculos semper ponendæ sunt; quas Artibus, Operâ, Facultatibus exæquare, in melius augere, & contemplando facere proprias, hic Labor; hoc Opus esto. Nec hæc vel semel Animis vobis excidant; Exemplaria scilicet Græca nocturnâ versanda manu, versanda diurnâ prius, quam bonæ frugis quidpiam à Me-

(†) Sallust.

Medicis in Ægros redundare queat. Quid multis? neque aliquâ Cohortatione opus eſt, neque à me Commendatione.

Vos, Animo repetentes Exempla tuorum,
Et Pater Æneas, & Avunculus excitet Hector.

En igitur Studiorum meorum Primitias, non ad Gloriam Opinionum aut ſubtilitatis Ingenii Viâ graſſantes, ſed Juventutem exhortando, monendo, eorumque Animos excitando, ut inflammato Studio rapiantur ad puriſſimos Salutis Fontes, quorum ſalubri Latice Medicina olim marceſcens & penè conclamata, nunc vigeſcit & effloreſcit. Sequamur præcipue *Hippocratem*, è cujus fæcundiſſimo Penu Judicio Arbitrioque noſtro, quantocumque modo videbitur, hauriamus. A *Principe* Medicorum, qui omnes ſine dubio procul à ſe reliquit, tamdiu diſcere volemus, quoad nos, quantum proficiamus, non pænitebit.

Abſit autem, ut hoc qualecunque Opuſculum, quod ſentio quam vacuum, mihi per ſe ſatis efficax videatur, quod hanc metam attingeret. Satis ſecura, quam paucisſima hujuscemodi Opera hanc Virtutem ſibi jure vindicant, hoc ſolummodo poſtulat mea Oratio; ut aliis, quibus abundat Otium, quosdam quaſi ſtimulos admoveret, quibus in hisce ſignis adumbratis, nec expresſis Medicorum Officiorum Effigiebus perficiundis & abſolvendis elaborarent, tandemque ultimam manum imponerent. Quibus ritè perfectis, non gravabor, ſi quibusdam Corporis voluptatibus procul habitis, aliquid Temporis in his Chartulis componendis, poſuiſſem (†). Neque is ſolus Reipublicæ prodeſt, qui Candidatos extra-

(†) Tull.

trahit, & tuetur Reos, & de Pace Belloque censet; sed qui Juventutem exhortatur; qui, in tantâ bonorum Præceptorum Inopiâ, Virtute instruit Animos; qui ad Pecuniam luxuriamque Cursu ruentes, prensat ac retrahit; & si nihil aliud, certe moratur; In privato publicum negotium agit.

F I N I S.

